

*tam esse inutilem & noxiam, non contradicerem sacro textui.* Ubi notanda est quædam calumnia, quam Vindex passim in me vibrat, in singulis fermè paginis supponens, quod asseruerim totam hujus sæculi Medicinam inutilem, & noxiam esse; quasi eadem sit propositio absoluta cum hypothetica. An ignorat Vindex quam longe distent expressiones hæ, *si dicerem, & dico?* Igitur ut argumento objecto respondeam, sub eadem hypothèsi mihi procedendum est. Tantisper ergo patiatur me Vindex quasi asserentem Medicinam hodiernam inutilem, & noxiam esse, ut nempe videat nihil unquam ex sacro textu contra hanc assertionem deducendum.

23 Jam sub hac hypothèsi ad argumentum concessa majori, nego minorem, quam nunquam Vindex probabit. Sive enim opponat diffinitionem Medicinæ, sive quidvis aliud, totum id dicam ego verificari de vera, & utili Medicina; non de falsa, inutili, & noxia, qualis est Medicina hodierna, & quæ tantum equivocè dicitur Medicina, sicut Superstitio æquivocè dicitur Religio, & Theologia Ethnica æquivocè dicitur Theologia. Igitur ineptè contra asserentem Medicinam hodiernam noxiam esse, probatur identitas hujus cum antiqua, ex eo quod utraque habeat pro objecto corpus humanum ut sanabile. Nam hoc ipso quod asseritur noxiam esse, & falsam, negatur ei essentia Medicinæ, sicut Religioni falsæ negatur essentia Religionis.

24 Idem dico de fine. Medicina noxia non habet pro fine sanitatem, quamvis ea ob inscitiam utens hunc scopum intendat. Dum quis alteri propinat venenum, judicans esse pharmacum, finis operantis est sanitas, minime verò operis. Dum Medici (uti plerumque fit) in consultatione pugnant, prædicantibus his utilem, & necessariam incisionem venæ, ex adverso asserentibus aliis non aliter posse vivere ægrum, nisi abstinendo à missione sanguinis: utriusque expetunt profectò salutem ægri; impossibile tamen, & implicatorium est, quod tam phlebotomia, quàm carentia phlebotomiæ ad sanitatem tendant: nam

si illa est necessaria, hæc abs dubio est noxia; & è converso.

25 Hinc patet solutio ad alia plurima, quæ objicit Vindex; quale est illud quo probat, tam Medicinam Galenicam, quàm Helmontianam approbari in sacro textu, ubi similiter confundit finem operis cum fine operantis.

§. III.

26 HÆC dicta sint pro defendenda veritate illius propositionis hypotheticæ. Si verò ex me quæras quid absolutè sentiam de Medicina hodierna, libere dicam prout exercetur à paucis (forsan paucissimis) subtilibus, doctis, cautis, & piis, utilem, & necessariam esse; prout verò à plurimis noxiam plerumque esse, & funestam. Id, præter experientiam propriam, docent me sapientissimi Medici. Audiat Vindex Cardanum de Meth. med. cap. 100. (apud Picinell. de Mund. Symbolic. lib. 7. n.7.) *Complures ab indoctis Medicis longe occiduntur, alioquin victuri, quam morituri ab eruditis salventur.* Audiat Gasparem à Reyes (Camp. Elys quæst. 6. num. 2.) asserentem, quod plurimi Medicorum, nomine tantum Medici sunt. Legat librum Doctoris Gerardi Goris, inscriptum, *Medicina contempta propter ignorantiam Medicorum.*

27 Cæterum (quod longe majoris momenti est) audiat piissimum Hispaniarum Regem Philippum Tertium, lib. 3. Novæ Recopilationis, tit. 16. leg. 11. *Porque hemos sido informados de personas doctas, y zelosas del bien comun, que en estos nuestros Reynos hay mucha falta de buenos Médicos, de quien se pueda tener satisfaccion, y que se puede temer que han de faltar para las personas Reales, &c.* O bone Deus! Viri doctrina, & zelo præstantes monuerunt piissimum Regem eò usque inopiam Medicorum, vere talium, in Hispania crevisse, ut timendum esset ne in toto Regno invenirentur duo saltem, aut tres ad regendam salutem Principum idonei. Et me, qui longe retro substiti in exprobanda Medicorum inscitia, maledicum, injurium, criminatorem volitantibus undique scriptis

tis clamant. Solatium in tot probris erit mihi conscientia mea. Testem invoco Deum, me non affectu aliquo pravo, sed zelo boni, publici ductum incertitudinem Medicæ artis, cæteraque, quæ in Crisi Medicæ continentur, nescientibus aperuisse.

28 An post editam illam Legem fuit aliqua immutatio facta in methodo docendi Medicinam in Academiis, quò certè lex illa tendebat, præscribens Practicam totam, non tractatus separatos insuper non scripto; sed voce tenus in aulis tradi? Nulla. Nam, nescio quo fato, id executioni mandatum non est. Examini Prothomedicatus jam tunc erat in eodem statu, in quo nunc se habet, attemperatum scilicet legibus à Philippo Secundo sapientissimè traditis.

29 Sed ut verum fatear, aliquanto in melius paucis ab hinc annis mutata est Medicinæ facies. Jam exolevit illa vulgarium Medicorum, ægròs siti, & foetore enecantium horrida praxis. Jam non adeo vilescit humanus cruor, tantillumque emolita est Galenica sævitia. Jam Chymia, & Anatome aliquantulum excoluntur, & *aspirat primo fortuna labori*. Jam, pacata Scholastica tyrannide, datur facultas consulendi Recentiorum Inventa. Jam non quidquid antiquum est pro vero habetur, Medicinaque ad experientiæ lucem incipit foetus genuinos (Dogmata dico) ab spuris secernere, instar Aquilæ quæ:

*Consulit arduos radios, & lucæ magistra  
Naturam vires, ingeniumque probat.*

#### §. IV.

30 **EX** hucusque dictis sponte sua ruunt cætera, quæ objicit Vindex. Ut quid mihi opponere Patrum Sententias, Theologorum opiniones, Imperatorum Leges? Medicinam, quæ vere talis sit, cum sacro textu, cum Theologis, cum toto terrarum Orbe, ut utilem, & necessariam agnosco. Medicos, modo re, & non tantum nomine Medici sint, hoc est, his notis insigniti, quas à num. 68. ad 70. Crisi Medicæ proposui; non modo non despicio, sed maximè suspicio. Si indocti sint, si rudes, si præcipi-

tan-

tantes, si remediorum congestores, non pro Medicis, sed pro homicidis habeo. Quid contra hoc in divinis oraculis, in Patribus, in Theologis, in Legibus apparet?

31 Hinc prudens conjiciet Lector, quam inique Vindex in numero sexto, qui totus calumniis turgidus est, in me invehatur, tamquam sacro textui Ecclesiastici contrarium, tamquam Medicorum contemptorem, tamquam totius Medicæ artis inimicum, &c. ut gradum faciat ad illum malè compactum Syllogismum (num. 7.) ubi præter vitium formæ cuilibet Dialectico patens (nam quod prima ex illis duabus propositionibus sit vera, & pia, deberet poni in minori, & non in consequenti) minor alia involvit falsa, alia æquivoca. Falsum est in sacro textu exprimi debitum fidei erga Medicos, item debitum obedientiæ, & præsertim cæcæ, qualem exigunt Medici: falsum præterea, me asseruisse, quod Medicina non sit necessaria. Æquivocatio est in illa minori transcendentalis, ex eo quod Medicina, & Medici possunt sumi, & in rigoroso, & in improprio sensu, juxta dicta.

32 Medicinam esse artem prorsus incertam, certissimis argumentis evici. Id ipsum doctiores Medici fatentur. Id quotidiana experientia clamat, cum vix semel videamus Medicos in consultationibus concordēs: *Sic enim omnes (ait Reyes Camp. Elys. quæst. 16. num. 5.) à se invicem dissentiunt, ut nullus reperiat, qui citra exceptionem, additionem, permutationem, præscriptum ab alio pharmacum comprobeat; quinimò qui non laceret, & mordeat. Et paulò infra: Quidquid probat unus, ridet alter.*

33 Nulla in hoc cum aliis scientiis comparatio; Physicam tantummodo, si placet, excipias. Theologi habent indubitatas regulas ad praxim immediatè spectantes: Jurisperiti statutas leges; ideoque frequentissimè tam hi, quàm illi in judicando conveniunt. At Medici nullos habent canones fixos curationem proximè dirigentes. Propterea solum in quibusdam Axiomatibus theoreticis, quæ lumine naturæ nota sunt, nec lites opinionum circa curationem dirimunt, datur inter Medicos consensus.

Hu-

34 Hujus farinæ sunt illæ demonstrationes, quas Vindex congerit, ut probet Medicinam esse scientiam. Prima concludit: *Omne corpus sanum moveri à principio intrinseco.* Secunda: *Corpus humanum ita dispositum, ut possit moveri à se omnibus modis necessariis ad omnes actiones juxta exigentiam, perfectionem, & ordinem naturæ, appetitu naturæ exigere suam conservationem.* Tertia: *Omne corpus humanum ita dispositum, ut aliqua ejus actio, functione contra exigentiam propriæ naturæ sit sensibiliter læsa, appetitu innato petere sui curationem.* Quarta: *Omni actionem sensibiliter læsam repræsentare intellectui morbum, cujus est tale signum.* Sint profecto hæc quatuor propositiones, ut Vindex vult, rectè demonstratæ. Quid inde habemus emolumentum? An illæ, imò sexcenta millia propositionum hujusmodi instruent Medicum pro curando exiguo tuberculo, aut levi febricula? O in quas nugas incurrunt etiam viri cordati, dum factionis studio contra veritatem pugnant!

35 Obstupui planè, ut vidi qua confidentia jactet Vindex Medicorum infallibilitatem, & in decernenda phlebotomia, & in purgantibus præscribendis. Quid hoc aliud est, quam generi humano illudere? Mirabile est id scripto publico proferri; sed longe mirabilius, si aliquis fidem adhibeat; præsertim Matrili, ubi frequentissimè evenit ad consultationem vocatos selectissimos è tota curia Medicos, acriter in decernendis phlebotomia, aut pharmaco dissidere. Hic phlebotomiam præscribit, & purgationem damnat. Ille stat pro purgatione, & contra phlebotomiam invehitur. Alius ægri debilitatem intuens, utrumque remedium adcusat, & specificis pugnandum docet. Ubinam igitur est hæc certitudo adeo altitonante voce à te prædicata, mi Vindex?

36 Atque hinc corrui illa solutio ad argumentum probans incertitudinem Medicinæ ex dissensione Auctorum: illa, inquam, solutio desumpta ex varietate Climatum, & Regionum, juxta quam varianda est remediorum species. Corruit abs dubio. Nonne in eadem Regione, in eadem Urbe, in eadem domo, in eadem ejusdem individui ægritudine

ne hæc dissensio Medicorum, aliis alia, & opposita remedia præscribentibus, passim in oculos incurrit?

37 Corruit pariter alia ab eo simili ducta, quod variæ sunt viæ, per quas quis Romam petere potest. Certum id est; attamen si inter Geographos, aut practicos non conveniret in designandis viis, per quas Romam itur; sed quas hi dicunt ducere Romam; alii assererent in contrarium tendere: in incerto esset via, ad iterque accinctus perplexus hæreret. Ecce casum quæstionis. Quod hic Medicus remedium maxime commendat; alius ut venenum mortiferum detestatur. Ille ait ad sapitatem, hic ad lethum ducere: ergo incerta est via.

§. V.

38 QUÆ pro phlebothomia, & purgatione affert Vindex, ad rem non sunt: non enim ego illam, vel hanc absolutè damnavi; tantummodo asserui esse remedia incerta (id quod evici ex oppositis opinionibus Medicorum), & multoties periculi plena. Malignam purgantium qualitatem negat contra receptissimam doctiorum, tam intrâ, quam extrâ Scholam Galenicam, Medicorum sententiam. Res est ipsis Barbitonsoribus nota. Id non impedit, quominus plus emolumentum aliquando ab evacuatione sperari, quam nocuenti à malignitate timeri debeat. Ait mihi ignotam esse continuam omnium vasorum corporis humani communicationem. O magnum Physiologiæ arcanum, mihi semper ignorandum, nisi benignissimus Vindex aperiret! quasi id potius vulgatissimum non esset. Scio hujusmodi communicationem, vi cujus contentus humor in omnem partem moveri potest, non solum in animalibus, sed etiam in vegetabilibus inveniri, ac proinde etiam in his dari succi nutritii circulationem, indubitatis experimentis comprobata; quod forsitan Vindex ignorat. Hinc tamen concludere, posse vi purgantium intimas quascumque sordes humani corporis verri, absurda illatio est, & quæ viam aperit funestissimæ praxi. An, etiam si integra Pharmacopolia exhauriat Vindex, hydropsis, aut luis

luis venereæ curationem solis purgantibus ( de catharticiis loquor ) absolvat ? Non modò in his , sed & in aliis plurimis morbis prius omnem succum nutritium detrudet , quam mali fomitem eliminat . O bone Deus ! quàm multa vidi ægrorum corpora repetito uso purgantium , ab indoctis Medicis præscripto , arefacta , debilitata , torrida ; cum tamen malum in dies cresceret !

39 Illud de purgantibus appropriatis tamquam certum supponit Vindex : cum sit maxime dubium , ne dicam omnino falsum , & ab omnibus ferme recentioribus rejectum . Liquida quæcumque , inter quæ succum nutritium , obvia deturbant : imò sana corrumpunt . Hinc sæpe quod in corpore balsamum erat , extra corpus stercus apparet . Audiat Vindex doctissimum Waldsmithium ( tom. 1. disp. 1. num. 5. ) : *Obstetricante hoc præjudicio alius prodiit ex ignorantia Philosophiæ error generi humano magis infestus . Causa morbi ( dicunt ) sensibilis sensibiliter per album foras est eliminanda hinc suum intonant purgandum : & homines purgantibus vexant usque ad maciem ; nescientes rarius humores ope cathartici excretos sub tali schematismo in corpore delitescere . Sæpe ac multum mecum cogitavi , quare in dissectis cadaveribus tantam humorum saburram non amplius reperiamus , quum si viventibus purgans fuisset exhibitum , tales abunde excrevisent . Ipsa videlicet purgantia cruorem , & carnem promiscue liquant , resolvunt , & putrefaciunt , atque in omnibus cum venenis pari passu ambulant ; ut recte dixerit Helmontius nomen purgationis esse nomen impostorium , cum non sit purgans , sed destruens , & hostile vitæ virus . Omnia purgantia sanguinis lædunt mitionem , & vitæ vinculum laxant , aut penitus rumpunt , unde in momento prava illa humorum prodiit caterva : quod si quandoque videantur expectationi satisfacere , id non tam vi cathartica , quàm solventi , & attenuanti , qua pollent , virtuti tribuendum est . Non mitius cum purgantibus agit Kursnerus in tractatulo de purgantium è Foro Medico proscriptione . Fieri tamen potest ut hæc aliquantulum hyperbolicè sint dicta nempe ad coercendam nimiam vulgarium Medicorum , in pur-*

purgantibus collocatam fiduciam : verum quidem est purgantia nocere ; ubi tamen periculum è repletionem viarum imminet , poterit nocumentum moderato purgantium usu abunde compensari . O utinam non Medici frequentius , quam par est , primas vias accusarent .

40 Inconsequentia me arguit Vindex , ex eo quod cum dixerim omnia in Medicina esse incerta , tamen Mercurium pro lue venerea extirpanda maxime commendem . Nulla hic inconsequentia . Primò : quia *parum pro nihilo reputatur* . Quid quod inter plures remediorum dubiorum chiliades , unum , duo , aut tria certa reperiantur ? Secundò : quia non ita prorsus evidens remedium est Mercurius , ut omni dubietate careat : atque ita in quibusdam circumstantiis circa ejus usum sibi mutuo contradicunt Medici . Aliquot ægros vidimus Mercurio unctos , nec tamen luem veneream evasisse : alios in ipso remedii usu animam exhalasse .

#### §. VI.

41 **A**gredior jam , ut nihil omittam , discutiendam quæstionem illam ad Theologiam Moralem spectantem : An , & quomodo peccet is , qui præsentem morbo renuit vocare Medicum , & uti medicinis ? Quod quidem dubium satis perfunctoriè , & in abstracto à Teologis tractatur : ideoque ulteriori examine indiget .

42 Pro quo suppono primò : Dupliciter posse in hac materia peccari : vel contra virtutem Religionis , tentando Deum : vel contra charitatem sibimet debitam , exponendo periculo propriam vitam : quanquam etiam possit , & his alia , vel alia malitia superinduci , v. g. deformitas avaritiæ , dum quis ob sumptus vitandos renuit medicari .

43 Suppono secundò peccatum tentationis Dei committi , dum quis intendit ( scilicet intentione , vel expressa , vel interpretativa ) experimentum sumere de Dei potentia , sapientia , bonitate , aliove quovis attributo divino . Undè magis appositè ad præsentem materiam , ille tentat Deum , qui rejectis mediis naturalibus , aut causis secundis ad aliquem effectum ordinatis , illum ipsum effectum à solo Deo ,

expectat, quasi inde experturus, an Deus sit potens, aut bonus, &c. quæ quidem erit tentatio expressa, & formalis, si adsit expressa, & formalis voluntas experiendi Dei potentiam; interpretativa vero, si solum ob expectationem solitarii influxus causæ primæ rejiciantur omnes causæ secundæ. Hæc apud Theologos communia sunt: inter quos speciatim videndus Eximius Doctor, qui (tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 2. & 3.) de peccato tentationis Dei optimè, & fusè disserit.

44 His positis dico 1. falsum est regulariter loquendo, quod Vindex asserit num. 36. Nempè reuuentem medicamenta in gravi morbo, committere peccatum lethale tentationis Dei. Probat. Quia, regularitèr loquendo, dum infirmi medicamenta refugiunt, id agunt, existimantes morbum solo beneficio naturæ superandum: at hoc ipso non tentant Deum: ergo. Probo minorem: Nam hoc ipso non spectant salutem à solo Deo, rejectis omnibus causis secundis; sed potius beneficium alicujus causæ secundæ, scilicet propriæ complexionis, aut naturæ admittunt, potiusque propriæ naturæ virtutem, quam Dei potentiam experiendam suscipiunt: ergo.

45 Similitèr nec tentat Deum, qui medicamenta respuit, quia vult pati infirmitatem, ex quocumque motivo, sive honesto, sive vitioso id faciat, aut quia vult mori; quamvis aliàs imprudenter agat, & peccet. Peccabit, inquam, contra charitatem, aliamve virtutem, non vero peccato tentationis contra Religionem, cum non intendat experiri Deum, quærendo ab eo sanitatem; quinimo intendit morbo succumbere. Ita communiter Theologi.

46 Sed dices: Div. Thom. 2. 2. quæst. 97. art. 1. docet: *Quod quasi interpretativè Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem.* Sed abhorrens Medicinam in casibus propositis, aliquid facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem: ergo saltem interpretativè tentat Deum.

47 Respondet Eximius Doctor loco citato dictum Divi Thomæ non esse accipiendum purè negativè: sed subintelligendum in taliter operante aliquem respectum ad Deum, etiam ex intentione operantis, tanquam se solo operaturum; optatum effectum. Sic etiam Lesius, Laiman, Bonacina, & alii.

§. VII.

48 Dico 2. Nec contra Religionem, nec contra charitatem peccat, qui Medicinam renuit, prudenter existimans morbum sola virtute naturæ superandum. Patet, quia prudenter committit naturæ morbum, pro quo expugnando prudenter credit naturam omninò sufficere.

§. VIII.

49 Dico 3. Etiam si morbus sit suaptè natura lethalis, si æger invincibiliter, quamvis erroneè, judicet à natura superandum: non peccat medicamenta rejiciendo. Patet: quia invincibilis error eum à peccato excusat.

§. IX.

50 Dico 4. Qui in gravi morbo constitutus dubius hæret: plus ne nocenti ab applicatione remedium timendum, quam auxilium sperandum, nec potest dubium deponere, nullatenus peccat, si, medicamentis rejectis, se Deo, & naturæ, aut succumbente natura, soli Deo committat. Patet: quia æquale utrinque periculum imminet, ac proinde non majus discrimen obit medicamenta respuens, quam admittens. Imò prudenter aget, si rejecto dubio, & periculoso Medicinæ auxilio, ad divinam opem recurrat: juxta illud (Paralip. 2. cap. 20.): *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Sed infirmus in tali casu ignorat quid agere debeat: ergo. Limitanda est conclusio, si, omisso medicamento dubio, nulla spes evadendi remaneat: prestat enim anceps remedium experiri, quam certæ morti se tradere.